



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

1. De Euangelio Dom. De Nuptijs in Cana Galilææ. IOa. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

## Dominica I I. post Epiphaniam.

*De nuptijs in Canâ Galilea.*

Ioan. 2.

2. Hebdom.  
post E.  
piphani.  
I.

I. **I**nuitatus Christus cum discipulis venit ad nuptias. Quanta dignatio Domini maiestatis, regis Angelorum, Sponsi Virginum, non dedignantis cohonestare tenuiorum homuncionum nuptiale conuiuium, ob has causas. 1. Ut matrimonium à Deo institutum, mysticeque eo, veluti symbolo, suam cum Ecclesia coniunctionem designari ostenderet. 2. Ut eorum inopiæ subueniret. 3. Ut fidem discipulorum, aliorumque presentium confirmaret, nobisque omnibus humilitatem & charitatem, quauis oblata occasione exercendam commendaret: idque quanto zelo gloriæ Patris, & salutis animarum promouendæ?

Quantò maior eiusdem dignatio se vltro toties ad conuiuium cum anima nostra celebrandum inuitantis, proponendo nobis vinum compunctionis cum pane lacrymarum: vinum cor lætificans, cum melle cœlestium desideriorum;

rum: vinum amoris cum manna diuinarum cōsolationum: seu exstimulando nos ad assiduum profectum in triplici via perfectionis, vberemque gratiam offerendo! Gratitude, amor, zelus imitandi Christum in humilitate & charitate, & proficiendi in spiritu.

II. B. Virgo vinum deficere monuit, & dixit ministris: *Quodcumque vobis dixerit, facite.* Quanta illa pijsimæ Matris charitas! si tam sollicita fuit pro corporali inopia horum coniugum, à quibus non rogabatur: quāto sollicitior erit pro spiritali suorum filiorum, à quibus sincere invocatur, necessitate subleuanda, quæ quò cateris Sanctis est melior, iuxta D. August. *ed est de nostris commodis sollicitior.* Quanta eius fiducia, quæ duriore in speciem accepto responso, nihil turbata, quasi impetrasset, quod verbo insinuârat, ministros, quorum opera filium vsurum in hoc patrandò miraculo præuidit, dictis eius parere iussit! Quanta intercessionis eius efficacia, & impetrandi gratia, qua interueniente, vti accelerata est Incarnatio Verbi, sic nunc acceleratum tempus miracula inchoandi! Deuotio erga B. V. & imitatio charitatis, fiduciæ, patientiæ eiusdem.

III. Iussit Christus impleri hydrias aqua,

Serm. 4.  
de nat.

qua, quam in vinū optimum conuertit. quanta non solum potentia, sed & quāta benignitas, quāta liberalitas Saluatoris sex hydrias vini optimi miraculosè producti in his nuptijs carnalibus, pro accepto haustulo reddentis, & conuiuis omnibus liberaliter offerentis, at quantò maior eiusdem potentia, benignitas, liberalitas in nuptijs spiritualibus animæ in cellam vinariam introductæ propinantis totidem hydrias præcipuarum virtutū, charitatis in Deum, misericordiæ in proximos, zeli gloriæ Dei & salutis animarū, deuotionis, gratitudinis, obedientiæ seu perfectæ resignationis!

O quoties sponsus cœlestis stans ad ostium cordis tui & pulsans, tibi has easdem propinare desiderat! quin ergo confestim eum intromittis, conuiuium-que sanctorū desideriorum proficiendi in prædictis virtutibus illi instruis? Amor Christi, zelus in his virtutibus proficiendi.

*Quomodo Christus infans exercuerit affectus internos Humilitatis.*

II.

I. **E**Xpende, quomodo Verbum infans in præsepio vagiens, in matris gremio lactens, iam tunc inculcans nobis exemplo, quod docturus erat verbo: